

impressam, neque manu exaratam, factum est unquam ut offende-
rem, summa quamvis a me diligentia perquisitam. Eum Egnatius lau-
davit (pergit Bembus) oratione medius fidiis luculenta, magno desiderio ela-
tum ab universa civitate; honestissimoque funere. Aeque atque Egnatiana
oratio, periit Sabellici Vita per Petrum-Georgium Chalcedonium, Ve-
netum, descripta, referente id Egnatio ad finem ejus epistolae, qua
Leonardo Lauretano Principi nuncupat *Exemplorum* volumen, Sabel-
lici postumum opus: Vale & SABELLICI VITAM paulo post edendam;
Petro Georgio Chalcedonio auctore, contubernali meo probissimo, felix expecta.
Si aut haec Sabellici Vita per Chalcedonium conscripta, aut funebris ora-
tio per Egnatium habita, meas in manus advenissent, me quidem la-
boribus, certe plerisque, levassent, quos maximos pertuli, ut ex va-
riis & saepe abditissimis monumentis eruerem ea quae ad vitam &
studia clarissimi hujus viri pertinent.

(a) Ven. ap.

Franc.

Bindon.

1553. in

fol.

(b) P. II.

lib. II. p.

27.

(c) l. c.

Ipsam vero humatum esse in s. Mariae Gratiarum aede, plane affir-
mant Marcus Guazzus in *Chronicis* (a) pag. 337. 2. & Joannes-Fran-
ciscus Palladius in *Forojulienis historia* (b). Moriens, inquiunt, legavit
corpus, & bibliothecam coenobio s. Mariae Gratiarum, Venetiis contermino.
Equidem supremis tabulis mandavit, ut humaretur corpus in aede su-
pradieta, eodem in tumulo, ubi filium considerat; at bibliothecam
non ejus templi coenobitis, sed Mariotto fratri, ejusque filiis legavit.
Quare hic fallitur, ut assolet, Ghilinus (c), dum Sabellicum ait sibi
adhuc viventi monumentum posuisse in *Michaelis aede*, quae sita est in
insula prope Murianum, ubi est *Camaldulensium Monachorum coeno-*
bium perillustre. Scribit Jovius, Sabellicum de sepulchro viventem &
incolumem tempestive sibi cavisse; scilicet degeneri filio diffusum, quem ex concu-
bina susceperat, compositumque ab se carmen lapidi insculpsisse, insigne quidem
& meritum elogium, sed certe honestius, si alieni ingenii pietas insculpsisset.

QVEM. NON. RES. HOMINVM. NON. OMNIS. CEPERAT. AETAS
SCRIBENTEM. CAPIT. HAEC. COCCION. VRNA. BREVIS

Errat tamen Jovius, ubi narrat sepulcrali lapidi carmen illud inscul-
ptum. Insculptum illud quidem cernitur, sed in tabulae marmoreae lo-
co imo, quam adhuc vivens, sibi Coccus posuerat in s. Mariae Gratiarum
aede supradicta; & ipse innuit in testamento, quod infra subi-
ciam. Est ea tabula januae imminens, qua in sacrum itur, cujus et-
iam iconem lectorum oculis hinc regione subicere censui fore non inju-
cundum: ad januam vero eandem humi defossum est sepulcrum, quo
conditus est Marius, cum epitaphio ante memorato, & in quod etiam
pater inferri se mandavit.

Quoniam vero nuper Egnatii facta mentio est, haudquaquam omit-
tendum puto, cum inter ipsos gravis aemulatio, ne simultatem di-
cam, intercessisset, Sabellicum jam morti proximum optasse in gratiam
cum Egnatio redire; & cum prudentiam ejus doctrinamque haberet per-
spectam, commendasse illi suum *Exemplorum* opus, quod Valerium Ma-
ximum imitatus in libros decem digesserat; norat enim, relinqui a se
imperfectius, quodque manum supremam admoveri sibi flagitaret. Egna-
tius officii sui erga tanti viri memoriam haud oblitus, lectori declarat,
quo animo commendationes morientis acceperit: minime iis esse auscul-
tandum, qui mortalitatis haud satis memores, immortales inimicitias esse vel-
lent.